

Le livre des serfs de Marmoutier, Nr. 101

Nosse debebitis, si qui eritis posteri nostri Majoris scilicet hujus habitatores Monasterii Sancti Martini, Hamelinum filium Gualterii de Vindocino, calumniam nobis de Engelrico sartore et fratribus ejus intulisse. Cujus calumniae talem afferebat rationem, ut diceret Gundacrum de Vindocino, qui Guarinum patrem eorum Sancto Martino et nobis in servum donaverat, non pro servo sed pro coliberto donasse. Unde placito apud Vindocinum constituto, presto ei habuimus quendam hominem nostrum de Scorcellis, Teelum nomine, qui sacramento et judicio Dei probaret, Gundacrium Guarinum patrem eorum lege servi prius, et nos postea dono ejus possedisse. Quod cum ipse dedicere non posset, sacramentum quidem recepit, sed judicium perdonavit. At cum hoc modo parum se obtinuisse cerneret, vertit se rursus ad aliam calumniam, et caepit calumniari pro ancilla Helenam matrem eorum, quam Fulbertus quidam de Vindocino cujus fuerat juris, semper pro coliberta habuerat. Cui etiam calumniae, per alterum nostrum hominem in eodem placito obviatum est, qui jure jurando voluit approbare, Fulbertum Helenam pro coliberta non pro ancilla habuisse. Quibus utrisque testibus convictus, Hamelinus cessit tandem concordie, et X de nostro acceptis solidis, omni dimissa calumnia, Engelricum et fratres ejus Sancto Martino et nobis perpetuo auctorizavit, sub his testibus qui interfuere. Sirus de Lengiacis, homo ejus. Archembaldus prepositus. Fulbertus telonearius. Rainaldus de Rua Vassalor. Fulco filius Frodonis. Gaufredus Ponfola. Ivio de Vindocino. Fulbertus filius Petri. Balduinus de Malliaco. Hildegarius Caro Leporis. Berengerius decanus. Benedictus Blanchardus. Arnulfus de Buziaco. Morinus famulus. Guarinus medicus monachus, qui placito affuit. Adelemus de Vindocino, qui spinas ad judicium calefaciendum apportavit.